DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

ÆMORRHAGIIS MORTUORUM ET JURE CRUENTATIONIS,

QVAM,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

PRORECTORE MAGNIFICO

N. D. MICHAELE ALBERTI,

ACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BEROL. SCIENT. SODALI, ETC.

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore, ac Promotore ſuo, omni honoris cultu proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

IMMISQVE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS, INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLEMNI OBTINENDIS

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXVI. D. OCTOBR.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

JOSEPHUS FRIDERICUS BIERBRAUER,

ULTRAJECTO - BATAVUS.

Halæ Magdeburgicæ, typis Jo. Chriſtiani Hendelii, Acad. Frid. Typograph.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30775863

PROOEMIUM.

QUando quidam negotium inane, fruſtraneum, ſero ſuſceptum adeoque exoptata utilitate deſtitutum ſignificare voluerunt, tunc parœmiis illis *Mortuos unguento inungere*, aut *Mortuis mederi* id exprimere laborarunt, quaſi medica talis occupatio circa defunctos deperdita, hincque merito omittenda ſit, ut propterea illis, qui cum mortuis aliqua ſuſcipere cogitant, acclamare liceat *Matth. 8. v. 22. ſine mortuos ſepelire ſuos mortuos:* hæc quidem adſertio in illo conatu valorem ſuum tuetur, quando quisquam naturali vi mortuos reſuſcitare vult, ubi illud *Ulpiani in orat. Demoſth. de falſ. legat. p. 116.* huc quadrat, *quod amiſſum eſt, reperiri poteſt: quod vero mortuum eſt, reſtitui nequit*, aut quod *Quintilianus declamat. 4.* profeſſus: *homini, qui ſemel renunciavit rebus humanis, non redditur*

vita; videlicet vi humana & potentia naturæ; ubi potius valent, quæ *Euripid. in Herc. fur. v. 717.* profert: *fruſtra* quædam *vocat mortuum maritum; neque* ipſe *venturus eſt unquam, niſi Deus excitaverit eum:* At enim vero propterea, non omnis labor qui cum mortuis inſtituitur & quo de mortuis agitur, inanis eſt in foro medico, id quod multis exemplis ex eleganti & utili Anatomiæ ſtudio facile probari poſſet: hinc *Hildanus in Præf. opp. Anatomen* vocat *Clavum & Clavem Medicinæ,* & *Theod. Kerckringius obſ. anat. 42.* diſſerit: *fatearis mecum Lector latere ſæpe uumero in corpore morborum cauſas, quæ & ipſæ morbi ſunt, quasne ſuſpicari quidem Medicus poteſt; frequenter autem ab anatomicis, qui eas invenerunt, obſervationes in lucem datæ, id afferent generi humani commodi, ut dum medicamenta ordinaria ad ſperatam ſanitatem parum conferent, medicus mentem advertat ad hæc ludibria dicam potius, quam ludos naturæ, quæ dum ſic ludit, nobis illudit:* quamvis in hac meditatione etiam illa *Celſi* ſententia locum inveniat, quam in *Præf.* profert, quando dicit: *nihil ſtultius eſt, quam quale quid vivo homini eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, imo jam mortuo:* & porro: *ne mortuorum quidem laceratio ſemper neceſſaria eſt, quæ & ſi non crudelis, tamen fœda ſit, cum aliter pleraque ſe in mortuis habeant, quantum vero in vivis cognoſci poteſt, ipſa curatio oſtendat.* Ob id non parum utilitatis promittit attenta & judicioſa obſervatio variorum phænomenorum in mortuis obviorum, ut exinde velut in contrario ſtatu & argumento veram indolem integritatis naturalis corporis humani, alioquin valde fragilis, cognoſcere queamus: etenim va-

riæ in mortuis occurrunt mutationes, quæ partim phyſico-medicis rationibus explicandæ, partim ad medicos plane uſus applicandæ ſunt: utut vero una eademque formalis Mortis ſit ratio, attamen, cauſæ mortem provocantes, & cauſæ phænomenorum in mortuis diſcrepant, ſicut *Herodianus Lib. 2. in vita Pertinacis p. 59.* elocutus eſt: *non una eademque cunctis hominibus mortis cauſa eſt, ſed aliæ aliis, cunctæ tamen ad eundem tendentes vitæ finem:* Imo dum in mortuis aliquando ſingularia, inſolita, admiranda & ferme miraculoſa phænomena occurrunt, qualia *Kornmannus* & *Garmannus* collegerunt & expoſuerunt, quæ ſubinde phyſico-medicis diſquiſitionibus interdum ſubjacent, ita medicis vitio verti non poteſt, ſi eadem phænomena, diverſa occaſione ferente, ſub penitius & attentius examen atque ſcrutinium vocant: nam & hæc defunctorum eſt memoria, de qua *Lipſius Cent. 3. ep. 26.* dixit: *laude ac memoria probe proſequi defunctos, ratio & ſapientia probant:* Et quemadmodum ad integram Hiſtoriam de homine quodam ſtruendam, etiam illa memorabilia pertinent, quæ ipſius mortem & cum hac connexa phænomena concernunt; ita medicorum dexteritatem ac induſtriam prodit, quando non modo res ſub vita geſtas commemorant, ſed quando integram quandam Hiſtoriam ad finem perducunt: ſic Medici ſuo foro ac officio quicquam contribuunt, ſi nonnullorum hominum recordatio quaſi immortalis reddatur, quando poſt mortem inquirunt, quæ ſingulares aut admiratione & commendatione dignæ mutationes in quodam ſubjecto obtingunt:

gunt: ob id Anatomia Practica ſive crebrum, aſſiduum & attentum ſcrutinium defunctorum Anatomicum inter eruditos tam eximiam obtinuit exiſtimationem *conf. Garmannus de mirac. mort. Lib. 2. tit. 2. §. 22. 25. 26. A. N. C. Cent. 5. p. 396.* neque audiendus propterea erit *Helmontius tr. ignotus hoſpes morbus n. 90.* qui autumat, quod cadaverum diſſectiones & prodant & excuſare debeant medicorum peccata & in praxi commiſſos errores: neque etiam eſt cur defunctorum agnati talem artificioſam, doctam & honeſtam demortuorum explorationem expaveſcant & prohibeant, cum ex una parte principes & magnates corpora ſua Medicorum arti & dexteritati ſubjiciant, ex altera parte ipſi medici talium defunctorum ſingulares & admirandas qualitates poſt mortem inveſtigent, & poſteritati relinquant: quo valet quod *Plato Lib. 7. de Legibus* enunciavit: *decens eſt eos cives laudibus exornare, qui ceſſerunt e vita, ſi corporis vel animi viribus res arduas præclaraſque geſſerint & legibus libenter paruerint: viventes autem adhuc laudibus hymniſque honorare tutum non eſt, priusquam vita functus quiſpiam vivendi præclarum fecerit finem:* & talem finem etiam præclarum reddunt illa obſervata, quæ apud alios honeſtam admirationem, in foro medico vero magnam utilitatem afferunt: quo loco reminiſcimur illius effati, quo integerrimus & B. Theologus *Spenerus* noſtram ſententiam analogo adſerto confirmat in Theol. Bedenck. *Part. 2. cap. 3. art. 3. Sect. 15. p. 367. ſeq.* ubi quæſtionem ventilat *an anatomia licita ſit*, & inter alia profitetur: Wann er nach Seinen Todt mit Seinen Leib

noch

noch einen Dienſt erweiſen könnte, ſo wolte er befehlen, daß man auch nach Seiner gehabten Kranckheit in Seinen Leib inquirire: Inter alia ſubjecta particularia, quæ in defunctis annotari ſolent, præcipue inclaruit Sanguis, cujus defectus, exceſſus, ſubtilior aut craſſior qualitas, nec non continuans motus inteſtinus &c. variarum mutationum nervus & argumentum fuit, ſiquidem alioquin etiam aut per ſuperſtitionem, aut per nimiam ſpeculationem, aut per veram obſervationem & connexam ſobriam rationem vel ficta myſteria, vel vera dicteria & criteria proferri ſolent: Neque tantum in vivis ſanguinis motus & diverſa qualitas attentam meretur æſtimationem, ſed & in demortuis; & licet non quælibet talis obſervatio ac diſquiſitio ad artis medicæ uſum dirigi queat, tamen plurima ad ſcientiæ & veritatis medicæ illuſtrationem & confirmationem quadrabit: Ex illis momentis, ſanguinis conditionem concernentibus, præcipue medicæ indagini ſe commendat nimia illius collectio, & viciſſim ſingularis ejusdem excretio, quippe qui reſpectus ſæpe in cauſali ordine ſunt connexi: quod vero in nonnullis mortuis ſanguinis abundantia, hoc ſenſu nominanda adſit, ac in defunctis etiam teſtimonium perhibet, quod in vivis cauſa morbi & mortis fuerit, non animus nobis eſt hoc loco ex inſtituto probare & demonſtrare; quod vero in demortuis obſervatu digna ſanguinis ſtillicidia contingant, illud paulo majori applicatione nunc indicabimus: quare præſenti occaſione Inaugurali hoc Specimine ſelectum quoddam thema

quod

quod cum Praxi & obſervatione medica exactam combinationem tenet, explicare & HÆMORRHAGIAS MORTUORUM quadantenus recenſere ac illuſtrare, proinde vero ex hoc nexu de JURE CRUENTATIONIS aliqua proferre laborabimus: Precamur in limine hujus propoſiti ut DEUS benigniſſimus ſua luce & gratia in hoc conatu adſiſtat, huncque ad ſalutarem ſcopum dirigat.

§. I.

M*Ortuorum Hæmorrhagias* dum explicare cogitamus mox in ingreſſu hujus tractationis non in *Mortuorum* ſtatu explicando hærebimus, ſed potius *illas Hæmorrhagias* annotabimus, de quibus hoc themate diſſeremus: quo loco mox aut *miraculoſas*, aut *fabuloſas* tales ſanguinis profuſiones ſeponimus, quoniam *forum* ac *ſcopum noſtrum* haud feriunt; hujus cenſus ſunt quædam ſudationes cruentæ, quæ de defunctis circumferuntur, quales vel Pontificia colit Eccleſia, vel vulgus ad ſuſpenſos aut innocenti ſupplicio vita privatos extendit, *vid. Garmannus de mirac. mort. lib. 2. tit. 6. §. 66. p. 532.* etenim ſi *miraculum* quoddam declamatur, mox tali *ſanguinea* ſudatione coloratur: inde mos invaluit, quo tales, ut *videri* volunt *miraculoſæ*, ſed communiter *fabuloſæ*, ſudationes cruentæ ad *alia* quam humana corpora, fuerint applicatæ & de iisdem declamatæ, quo ipſo vero ſubinde *Salvatoris* ſatisfaciens & *expians* cruentus ſudor in pravum trahitur abuſum; neque de *particulari* ſanguinis ſtillicidio, *quomodocunque* miraculi nomen tenente, hac occaſione nobis ſermo eſt, ſiquidem illius inquiſitio non niſi multis *contradictionibus* obnoxia eſt, dum illi, qui *nimio* Zelo religioſo tot miraculoſas Hæmor-

morrhagias adſtruunt, non niſi ad *factum*, quatenus *indubie* verum, provocant, & fidem, quam Eccleſia tuetur & tenet, ſine *ulla* exceptione, ſub comminatione & pœna *anathematis* & rochi poſtulant: qui itaque *cæco* pruritu talibus narratiunculis fidem dare, neque *neceſſarias* circumſtantias indagare & conquirere vult, ille dum *facile credit* id, quod *nullo* fidei articulo eminet, *facile decipietur:* Ne tamen *omnes* profuſiones ſanguinis, etiam interdum ex *inſolitis* locis contingentes, in *demortuis* obviæ, pro *nude* miraculoſis reputentur, tunc *prudentis* medici officium erit illarum *cauſas* probe perpendere, ante omnia tamen veritatem *facti* in talibus hiſtoriis producere & ſubinde *ſelectum* obſervationum adjuvare & in præſenti themate demonſtrare, ſiquidem de *Cruentatione defunctorum* multa paſſim recenſentur, quæ *fidem*, *rationem* & *parallelíſmum* obſervationum ſatis aperte ſuperant: inde etiam contingit, ut, quia de ſanguine *humano* vulgo *venerabundi* foventur conceptus, deinde *varia* miracula paſſim divulgata conſpiciuntur, ex diverſa tali *hæmorrhagia* aut *innocentia*, aut *ſanctitas*, aut *contraria* plane affectio judicata & declamata fuerit, in quo tamen judicio utplurimum eximie *ambigunt* & diſcrepant, quotquot in tales ſententias abeunt *curioſi:* Hinc *tales* hoc titulo intelligimus & tractamus *Hæmorrhagias*, quæ ex cauſis *veris*, *perſpicuis*, fundatis, ſolidis, *naturalibus*, *ſimplicibus* & ad corpus *humanum* applicabilibus, oriuntur, quales de *morbo* ſæpe, ac *mortis* ſpecialiori indole & occaſione teſtimonium perhibent: ſicut enim medici *proximior* occupatio circa res *naturales* verſatur, ita in præſenti obſervatione *ſingulares* plane & notatu perquam digni reſpectus & nexus *cauſarum* naturalium, ad œconomiam *vitæ* applicandarum, occurrunt: & quamvis in *demortuis* ſecundum communem contemplationem ſanguis facile *congrumeſcat*, nec non *fibræ* motrices utplurimum *obrigeſcant*, proinde cruor in ſuis *vaſis* citius *ſtagnet*,

 quid-

quidquod Hæmorrhagiæ quædam breviter poſt mortem *ſubſiſtant*, imo in affectu illo, mortem quadantenus præſentante, *ſyncoptico* & *lipothymico* venæ *inciſæ* aut vaſcula vi disrupta & aperta, & moderata vulnera ſanguinem ſtillare *deſinant*, ut propterea *mortuorum* Hæmorrhagia *dubia* declarari queat, tamen *frequens talium* Hæmorrhagiarum obſervatio, *aliarumque* cauſarum *phyſicarum* conciliatio ſcrupulum facile eximent: unde *talia* ſtillicidia ſanguinis in *defunctis* in *facto* & *modo* fiendi minime *inſolita* aut abſolutè prodigioſa exiſtunt, quæ tamen partim in ſuo *proceſſu*, partim in ſuo *receſſu* i. e. quoad *decurſum* & *cauſas* ſuas aliquales *differentias* tenent, ſecundum quas ſuo ſubjecto, videlicet *mortuo*, competunt, quæ ſpecialis diſcrepantia nihilominus *in illis* obſervanda erit circumſtantiis, quæ videntur inter *vivum* & *mortuum* aliquam *communionem* monſtrare: Proinde de *talibus* hoc themate differemus mortuorum cruentationibus, quæ *ſponte* iterum & *citra* aliquam *craſſam*, mortuis demum, inductam, *violentiam* eveniunt, qualis poſterior nedum quidem *ſingulari* indagatione & applicatione medica digna erit: neque denique *infrequentia* hujus fluxionis ſanguineæ in *defunctis* in *relatione* ad *frequentiam* Hæmorrhagiarum in *vivis*, præſentem obſervationem ſupervacaneam, aut plane inutilem reddit, cum ipſæ *vivorum* Hæmorrhagiæ *nonnullæ* ſatis *raræ* eſſe annotentur, quæ tamen in foro *medico* variis *fructuoſis* contemplationibus occaſionem miniſtrant.

§. II.

Sed ne inanibus & *uſu Medic*o privatis aut nude curioſis meditationibus in *hujus* thematis explicatione ſtudium noſtrum dare videamur, proximum erit, ut aliquot *momentis* demonſtremus, qualem *utilitatem* præſens obſervatio *Medicinæ* conferat: quamobrem ſciendum 1) quod indagatio Hæmorrhagiarum in defunctis multas *cauſas phyſicas*, ad forum *Medicum* applicabiles in ſcrutinio *partium* corporis

flui-

fluidarum & ſolidarum obſervatu dignas, illuſtret, *variarumque* rerum *naturalium relationem* ad corpus *humanum* explicet ac confirmet, inſuperque *conſenſum Macrocoſmi* cum *Microcoſmo* quadantenus demonſtret: 2) deinde ex hac diſquiſitione alterius notatu perquam digna *differentia* inter opera *naturæ* humanæ & effectus *nude phyſicos* inclareſcet, aut quæ ſint *actiones naturæ* & *paſſiones corporis*, & quomodo quidam effectus, in corpore humano obvii, qui aliquam *convenientiam* habere videntur, non *confundi* debeant, ſecundum communem canonem, quod duo cum faciunt idem, non ſit idem: ſiquidem Hæmorrhagiæ in *vivis ſpontaneæ*, utplurimum a *natura* dependent, quæ vero in *demortuis* nudis *phyſicis* cauſis adſcribi debent: 3) præterea *illæ* mortuorum Hæmorrhagiæ aut *aperiunt*, aut magis *confirmant* & medico in futurum obſervandas indicant *morborum cauſas* & *mortis occaſiones*; id quod ſcientiæ medicæ *certitudinem* & artis *poteſtatem* atque *utilitatem* roborat: & quamvis interdum ex cauſis *externis* atque *accidentalibus* talia ſanguinis profluvia excitentur, quales cauſæ mortem *conſequuntur*, aut poſt motuum *vitalium* ceſſationem *demum* operantur, tamen in variis caſibus *vera* morbi cauſa haud difficulter exinde agnoſci & *demonſtrari* poteſt: 4) quantam *utilitatem* præſens obſervatio in *Anatome* habeat, vix multis verbis demonſtrare neceſſitas poſtulat: etenim præter *curioſitatem*, quam in talium defunctorum ſcrutinio quidam affectant, ſeorſim innoteſcit, quod per *phyſicam* rationem variæ partes *paſſivæ* disruptioni obnoxiæ ſint, quæ per *motuum vitalium* concurſum longe *facilius* dilacerationem ſubirent, ni *principale* œconomiæ vitalis directorium Hæmorrhagiarum *ſucceſſus* utplurimum *longe aliter* diſponeret: 5) ex præſenti tractatione *eximia* illa *differentia* inter *vitæ* & *mortis* ſtatum innoteſcit, quæ tam in *ſcientia*, quam *experientia* medica multum lucis affert, utpote in quo diſcrimine *formalis*

 ratio

ratio *vitalium* & nude *phyſicorum* motuum facile inclareſcet, unde prudens medicus verum ac ſolidum *principium* demonſtrativum nanciſcitur, quo in *tota* Medicina *firmiter* niti poteſt: 6) inſervit etiam hæc tractatio ad *Hiſtoriæ Morborum Medicæ* complementum, quæ ſæpe notatu dignas circumſtantias, *ante* & *poſt* morbum occurrentes, recenſet & conciliat, inſuperque obſervationes non modo *adauget*, ſed & relative *illuſtrare* & probare adjuvat: 7) *phyſico-medica* talium Hæmorrhagiarum notitia, non modo varias *ſuperſtitiones*, quæ in obſervatione talium cruentationum committi ſolent, *declinat*, & quid *miraculoſum*, quidve *naturale* ſit, exponit, proinde in foro *Theologico* aliqualem utilitatem confert, in quo interdum de tali cruentatione inquiritur, an ſignum ſanctitatis, innocentiæ, culpæ, divinæ vindictæ &c. exiſtat, an minus: ſed & ſubinde veritates *phyſicas* & *medicas* confirmat: 8) hac obſervatione rite inſtituta aliquando *occultæ* cauſæ *morborum* & *mortis* innoteſcunt, quas *antea* providus Medicus non adeo perſpexit; quando v. g. vaſcula *varicoſa* disrumpunt, *ſaccus* & tumor *ſanguine* oppletus *crepaturam* patitur, *acre* & corroſivum deliteſcens ulcus vas ſanguiferum *erodit*, *vermes* latitantes *morſu* ſuo partes violant &c. &c. 9) monſtrat porro hæc obſervatio *Medico* interdum viam & *methodum*, qua in *futurum* in aliis affectibus *analogis* ægrotantibus ſuccurrere debeat: 10) aliquando hæc obſervatio indicat quosdam *errores medicos*, quando v. g remedia valde calefacientia & ſanguinem *impellentia ſiniſtre* in aliquo morbo fuere oblata, quales errores in *futurum* eo majori ſolicitudine *evitari* poſſunt & debent: 11) deinde hæc tractatio partim *diſpoſitionem* certorum hominum ad *Hæmorrhagias* illuſtrat, indicat & confirmat, partim & *ſeorſim illas* cauſas ſignificat, quæ ad *paſſivas*, adeoque abſolute *nocivas* ſanguinis fluxiones contribuunt: 12) denique ex hac obſervatione Medici *JCtis rationem* reddere poſſunt,

ſunt, de *diverſa* cadaverum cruentatione: unde facile liquet, quod hæc tractatio e foro *Medico* utilitatem ſuam conferat in forum *Theologicum*, *Juridicum* & *Philoſophiam naturalem* ſive anthropologiam phyſicam, neque pro nude curioſa denigrari debeat.

§. III.

In ulteriori præſentis thematis proſecutione nunc nonnulla *teſtimonia* & *ſuffragia* eruditorum proferre lubet, quæ circa *præſentem* obſervationem occupantur: & licet *doctis* & *indoctis*, medicis & aliis ſubjectis ſatis ſuperque ex *experientia* innotuerit, quod ex *mortuis* in *variis* caſibus & ex variis locis ſtillaverit ſanguis, quid quod ſubinde perquam comprobatum ſit, quomodo ob grande tale cruentum *profluvium* cadavera *maturius* Terræ mandanda ſint, tamen aliqua talia, *Medicorum* præcipue, teſtimonia proferre lubet: Fuſius de talibus mortuorum Hæmorrhagiis egit *Garmannus de mirac. mort. Lib. 2. tit. 5.* §. *66. ſeq.* ut & per totum *titulum Septimum* in quo longe & erudito modo de *Cruentatione Cadaverum* diſſerit: Seorſim vero de *Hæmorrhagia Narium*, poſt mortem orta, egit *Garmann. l. c. tit. 6.* §. *66. p. 532. Riedlinus in Millen. cur. Med. p. 697. Kotzackius de Hæmorrhagia narium p. 54. Bierlingius adverſ. med. Cent. 1. obſ. XI. Binning Cent. 4. obſ. 100. Hildanus Cent. 3. obſ. 12. Schneiderus de Apoplexia p. 734.* de profluvio ſanguinis ex *Hæmoptyica vid. A. N. C. dec. 1. an. 10. obſ. 135.* de *generali* profluvio ſanguinis in defuncto *conf. Kornmannus mirac. mort. part. 9. cap. 63.* de *Menſibus* in *demortua* fluentibus *vid. Helwichius A. N. C. dec. 3. an. 4. obſ. 31. Paulini A. N. C. dec. 2. an. 6. obſ. 1. app. p. 4.* referente & repetente *Garmanno l. c. p. 533.* De *Sudore cruento* in cadavere egit *Garmannus l. c. lib. 2. tit. 6.* §. *65. ſeq. Frommannus A. N. C. dec. 1. an. 6. obſ. 185. Ledelius A. N. C. dec. 2. an. 9. obſ. 36. & in app. p. 462.* de ſanguinis fluxu *ex vena* apoplectici inciſa, poſt mortem continuante *vid. A. N. C. dec. 3. an. 1. obſ. 50. p. 65.* Quod vero *Cruentationem occiſorum* attinet, tunc præter illos multos authores quos

D. D. Præſes in ſua Jurisprudentia Medica cap. 14. §. 68. p. 349. ad lit. a b c d allegavit, conferri poſſunt, *Thom. Cantipratanus Lib. 1. Mirac. c. 16. §. 2. & lib. 2. c. 29. §. 22. Nic. Boër Deciſ. 166. n. 1. Anton. Gomez tom. 3. Variar. reſol. c. 13. n. 15. Levin. Lemnius de occult. nat. mirac. lib. 2. c. 7. Magir. lib. 3. Philoſ. peripat. c. 8. Hieron. Nymann in Orat. de imaginat. quæſt. 7. p. 77. Athan. Kircherus in art. Magnet. Lib. 3. p. 7. Eraſm. Franciſci* Schau-Bühne *Tom. I. p. 656. ſeq. Euſeb. Nierenbergius lib. 2. philoſ. curioſ. Part. I. cap. 12. & lib. 2. Part. 2. c. 105. Philip. Melanchton. in Phyſic. lib. 1. de provident. p. 30. Paris de Puleo in tr. de Syndicat. cap. 3. in verb. art. Jacob. Menoch. arbitr. judic. quæſt. lib. 2. caſ. 270. n. 16. & Præſumt. lib. 1. qu. 89. n. 24. Chilian. König in Proceſſ. jud. tit.* von erforſchlichen Gericht *cap.* von der ſcharfen Frage *n. 12. Matth. Berlich. Part. 4. concluſ. 11. n. 74. Blancus de indic. n. 408. Chriſtoph. Cruſius de indiciis Part. 3. c. 28. n. 162. ſeq. Esbach. ad Carpzov. part. 4. conſt. 7. def. 2. Lentilius Miſcellaneorum Practicorum p. 480. Geyderi diſp. de cruent. cadav. Greg. Horſtius de naturali conſervatione & cruentatione cadaverum: Kornmann mirac. mort. part. 9. cap. 23-27. A. N. C. dec. 3. an. 7. obſ. 111. de ſanguine poſt quintum diem a morte præternaturaliter ad mulieris famoſæ tactum fluente, cum judicio medico. Dec. 3. an. 1. obſ. 50. Cent. 5. obſ. 94. de Cruentatione Cadaverum poſt mortem. Behrns ſelect. med. ſect. 5. n. 9. Voigt de ſtillicidio ex interempto hominis cadavere, Kirchmeyer de cruentatione cadaveris. Libavius tract. 2. Phyſic. de cruentatione cadaverum. Bravo conſult. medic. IV. p. 258. ſeq.* quo ſpectat quæſtio quam proponit *Ammannus in Irenico qv. 24. p. 169. an cruentatio cadaveris occiſorem occultum vel latitantem manifeſtet & an exinde certa indicia ad torturam deſumi poſſint:* conferatur porro de eadem materia *Fortun. Fidelis Relat. Medic. p. 225. Zwingerus diſſertationum Selectarum p. 34-37. Rzaczynski in hiſt. nat. curioſ. Regn. Polon. tract. 14. Sect. 2. p. 366. A. E. L. An. 1722. Menſ. Januar. p. 17. Frentzelius de Cadaveribus humanis*

ad

ad præſentiam occiſoris cruentatis Becmannus diſſ. de Judicio Dei, ut & *Liber* cui titulus der luſtige *Juriſt p. 345-356 cap. 26.* quam teſtimoniorum farraginem propterea proferre placuit, quo *curioſitas* & *dignitas* obſervationis exinde magis inclareſcat: neque adeo penitus *abſolute raræ* ſunt *mortuorum* Hæmorrhagiæ, ſiquidem hæc obſervatio vel *plebi* ſatis cognita exiſtit, quæ ex *communi* ſanguinis *æſtimatione* utplurimum *tale* ſanguinis profluvium utpote phænomenon *ſingulare*, *terribile* & magni momenti dijudicat; hinc aliquando *fortiora* & *efficaciora* medicamenta pro cauſa hujus affectus ſignificantur: quidquod in *recentioribus* puerperis nedum quidem pro *rara* amplius reputatur obſervatione, quando *poſt mortem* in iisdem *largus* ut plurimum ſanguinis fluxus metuitur: de reliquo non placuit longiori filo ac ſtylo *multorum aliorum* Practicorum conſenſum producere, ad quos merito hoc loco provocamus, neque ullus unquam & ullibi aut fuerit aut erit, *attentus* Practicus, qui non *multis* obſervationibus *præſentem* noſtram tractationem *confirmare* & *illuſtrare* poterit.

§. VI.

Ab hac introductione & *generali* præſentis thematis commendatione, nunc ad *ſpecialem* illius explicationem progredimur & uno ordine mox obſervationes *practicas* cum *cauſali* explicatione proponere lubet: Primo itaq; loco de fluxu ſanguinis *e naribus* in *defunctis* aliqua proferenda erunt: *eminens* itaque exemplum ex crebra obſervatione petitum, occurrit in nonnullis ſubiectis *ſanguinea* præcipue Apoplexia demortuis, in quibus ſanguis e *naribus*, *auribus*, *ore*, imo *oculis* effluus obſervatus fuit; inde facile liquet, quod ſanguinis *ſufficiens* & *tempeſtiva* evacuatio hunc *lethiferum* morbum *præoccupare* potuerit: ob id veteres medici, conſentientibus & referentibus *Wepfero*, *Nymanno*, *Schneidero* in peculiaribus de *Apoplexia* ſcriptis, *narium*

um hæmorrhagiam in apoplecticis *vivis* ſubjectis *ſufficientem* & *maturam* ſalutarem prædicarunt; quæ ſi *haud* ſucceſſit, *poſt mortem* denique ſe *largo* exſerit flumine: quare *Garmannus l. c. lib. 2. tit. 7. § 28.* teſtatur quod Apoplectici poſt mortem ſæpe copioſum profundant ſanguinem, nam ſi *quædam* Apoplexia a *repente* turbato *progreſſu* ſanguinis per cerebrum, aut a nimio cerebri *infarctu* cum ſanguine, aut a vehementi & contumaci *congeſtione* ſanguinis intra cerebrum, aut *irregulari* molimine *hæmorrhagico* in & e cerebro ortum trahit, tunc facile *cauſa* pateſcit, cur in talibus *defunctis* tandem ſanguis *eructet* & interdum ſatis largiter fluere continuet: etenim quo *magis* cerebrum cum ſanguine *oppletum* eſt, quando inſuper ſub prævia *immoderata* commotione intenſiorem motus *inteſtini* gradum ſanguis nactus eſt, quando præterea *calefacientia* & impellentia medicamina cum æſtuoſo *regimine* uſurpata ſunt, quando *tempeſtas* calida coincidit, quando corpus ſubjecti eſt *ſucculentum*, quando aliæ *externæ* cauſæ *putrefactionem* accelerantes & augentes concurrunt, eo *facilius*, ſanguis *magna vi* erumpit & eximio flumine conſpectui ſe præbet; id ipſum etiam eo *facilius* contingit, quando a *reliqua* corporis regione & extremitate ſanguis *ad caput* antea *fortiori* & *tenaciori* motus gradu fuit *congeſtus*: interea vero *aliquando* accidit, ut in *vivis* ſubjectis ſanguis vel *parcius*, vel plane *nunquam* erumpat, qui tamen *poſt mortem* larga eructat quantitate, quando antea largo cumulo *coacervatus* & detentus fuit, qui nunc *ſuperveniente* efficaciori motu *inteſtino*, & majori fibrarum *mollitie* & laxitate majorem *aperturam* in certis locis inducit & *pleniori* quantitate poſtea effluere continuat: id quod tanto citius & facilius contingere ſolet, quando *corpora* demortuorum aut ſæpius, aut immoderatius *commoventur*, inde innotuit illa vulgaris monitio, man ſolle die Todten nicht viel rühren, ſiquidem *talis* motus *ſanguinem*, qui nunc in *ultimo* eruptio-

ptionis puncto hæret, in cerebro, jam valde *oppleto* ita premit, utpluribus teneris & *ſemi eliquatis* membranoſo vaſculoſis narium, infundibuli, oculorum & aurium locis eructet; unde etiam quandoque evenit, ut, ſi cadaver cum arca ferali & feretro *translocatur*, tandem corpus illud exanimatum ſanguinem *ſtillare* inchoet; nam in prædicto *affectu* & ob prænominatas *cauſas* ſanguis in magnum convertitur *motum*, vaſa ſanguifera valde *intumeſcunt* & partes etiam ſolidæ ſanguiferæ majore *inturgeſcunt* gradu, hinc *apoplecticorum* multorum corpus exanimatum ad horrorem & ſtuporem quandoque *intumeſcit:* quidquod fortis ille motus ſanguinis *inteſtinus colliquationem* aliquam provocat, ut *fluida* & mobilis ſanguinis qualitas huic ſtrenue & *immodicæ* effluxioni tanto magis *miniſtret*: quemadmodum in *tali* caſu & ipſæ *ſolidæ* partes facile & cito diffluunt & *deliqueſcunt:* ob id non ſtatim pro *miraculo* ille reputandus eſt effectus, quando præter *nares* ex aliis *inſolitis* capitis partibus ſanguis perrumpit, quoniam præter prædictas cauſas aliquando in *vivis* ex *ejusmodi* locis ſanguis exſtillare ſolet: quando inſuper alias talia ſubjecta *largioris* & mollioris corporis habitus ſunt, tunc ſtantibus prædictis circumſtantiis & concurrentibus illis cauſis talis hæmorrhagia narium in *defunctis* tanto facilius contingere poteſt, quo adhuc diſponit perſonalis & *individualis* corporis *teneritudo*, ſecundum quam alioquin in *vivis* facile læſio & *dilaceratio* eidem induci poteſt: quando itaque in apoplecticis *mortuis* corpus rarius *obrigeſcit*, aut facile *flacceſcit*, tunc iterum ob hanc apertam *phyſicam* rationem profluvium ſanguinis facile ſuccedit: quando etiam ob præviam grandem *congeſtionem* partes membranoſæ & carnoſæ valde *diſtenduntur* & enervantur, tunc *poſt mortem* ſanguis in hiſce partibus & circa illas *copioſius* collectus conceſſo *majori* tali ſpatio, majorem vim *expanſivam* exſerit & majori tandem effectu *perrumpit;* quæ prima

mà eſt *ſpecialis* conſideratio circa *narium* Hæmorrhagias *apoplecticorum* demortuorum inſtituta.

§. V.

Præcedenti obſervationi mox ad latus ponimus alias *connexas parallelas* annotationes practicas de *Narium Hæmorrhagiis demortuorum;* obtingunt itaque *talia* profluvia ſanguinis in *nonnullis junioribus* ſubjectis, quæ ſub *Synocha ſimplici*, *ſynocha putrida*, *continuis*, *inflammatoriisque* expirant febribus, quando in hiſce *molimina*, ad Hæmorrhagiam narium tendentia, convenientem *ſucceſſum haud* ſunt nacta, ſed ſub *graviſſimorum* ſymptomatum tyrannide fatalem ſortita ſunt exitum; ita enim interdum *critici* tales inſultant conatus hæmorrhagici, qui *congruo* ſuo decurſu *deſtituti*, ægrotantes *quaſi* apoplectico affectu oppreſſos & jugulatos exhibent: ita in variis aliis præcipue junioribus *plethoricis* febricitantibus occurrit, ut ex *prægreſſa* & conſueta diſpoſitione, motus *narium hæmorrhagias* urgentes vel critici vel eccritici irruant, qui aliquando *legitimo* ſuo *privantur* ſucceſſu; quando itaque ſub talibus *immoderatis congeſtoriis* apparatibus ægrotantes ſuccumbunt, tunc *poſt mortem denique* nares ſanguinem largo ſtillant rivo, ubi variæ cauſæ *naturales* ex præcedenti §. petendæ ſunt, quæ ad *præſens* phænomenon facile applicari poſſunt, nam prævia *congeſtio* ſanguinis intra caput, indeque pendens eximia capitis *oppletio* cum ſanguine, continuans motus inſignis *inteſtinus* ſub febre excitatus & augmentatus, præter *aliarum* multarum cauſarum concurſum, talem cruentationem, *naturali* modo facile obtingentem, probant: Porro familiarius poſt *mortem* ſanguis e *naribus* aliisve capitis locis emanat, quando quædam ſubjecta, maxime *juniora*, *plethorica* tamen, valde *maligna* laborarunt febre, ubi ob magnum motus *putrefactorii* gradum in partibus *fluidis* & *ſolidis* facile e *tenerioribus* corporis partibus & regionibus ſanguis *erumpit*, qui ob *deliqueſcentiam* ſuam largius inſuper effluere *continuat;* hinc talis cruentatio

tatio cadavera, *peſtilentialibus* morbis antea affecta, tanto magis *deformia* & horribilia reddit: quamvis etiam ex *aliis* corporis partibus in *tali* ſtatu ſanguis *eructare* ſoleat: Quando porro *fœminæ* juniores *plethoricæ* ex ſubitanea *Menſium* aut *Lochiorum ſuppreſſione* vita privantur, tunc ex hiſtoria practica antiquiorum & recentiorum medicorum abunde conſtat, quod ſanguis in *ſuperiores* regiones & aliquando *intra caput* efficacius ac contumacius *congeratur*, qui ſi in *vivis* fœminis *abhinc* non erumpit, tandem in *demortuis* eructat, imprimis quando mors *brevi* prægreſſam Menſium & Lochiorum ſuppreſſionem excipit, dum præter præſentem capitis *oppletionem* & vaſorum ſanguiferorum *infarctum* ſuperveniens *rigor* fibrarum *emortualis* talem *teneriorum* partium dilacerationem atque crepaturam, cauſatur, ut tandem in *defunctis* Menſes & Lochia *per nares* effluant, ſicut in *vivis* tales *inſolitæ* viæ ſatis cognitæ & obſervatæ ſunt: tanto magis hoc contingit, quando *juniores* fœminæ ob valde *plethoricum* ſuum ſtatum frequentioribus *narium hæmorrhagiis* obnoxiæ fuerant: quo loco *D D. Præſes* reminiſcitur caſus B. ſuæ ſororis, quæ a *teneris* largis *narium* Hæmorrhagiis ob reliquum *eximium* plethoricum ſtatum obnoxia fuit; illa tandem ex aliquali Menſium *retentione* & priorum hæmorrhagiarum *cunctatione* vigeſimo tertio ætatis anno ſub indies *augeſcente* ſtatu plethorico in graviſſimam acutam *inflammatoriam* incidit febrem, ſub qua vehementes *congeſtiones* ſanguinis ipſa experiebatur, quæ tamen in nullam *actualem* ſpontaneam *tempeſtivam* excurrerunt Hæmorrhagiam, poſteaquam illa ſub hac febre vitam amiſit, *poſt mortem* cum magna capitis *inflatione* ſanguis e *naribus* largius effluere cepit & continuavit; quales plures caſus recenſeri poſſent; ſi temporis ratio permitteret: præterea *narium* hæmorrhagiæ interdum excipiunt *prævias* funeſtas capitis *contuſiones*, quæ in hominibus utplurimum *plethoricis* magnas ſanguinis *ſtagnationes* & coacervaiones in capite, nec non ominoſas

in *aliis* etiam ſubjectis *enervationes* partium *ſenſibiliorum* in capite cauſantur, unde adhuc in *vivis* læſis ſubjectis *majores* ſanguinis collectiones contingunt, quæ *futuris* talibus eruptionibus cruentis faciliorem occaſionem miniſtrant: ob id in *illis* caſibus, ubi caput *violento* & vehementi modo *percuſſum* fuit, ſanguinis ventilatio *artificioſa* methodo procuratur, ne *funeſta ſtaſis* vitæ finem imponat: neque inauditum, ſed in obſervatione & ſcrutinio mortuorum affatim probatum eſt, quod, quando *ſalutaris* narium hæmorrhagia *repente cohibita* fuit, ex circumſtantiis diverſimode coincidentibus, ſi non lethifera *interna* ſanguinis eruptio in capite contigit, tamen poſt *mortem* ejusmodi cruenta eruptio e *naribus* obtigerit, licet aliquando *inverſo* ordine hæc immutatio contingat, ut certe e *naribus* tale *ſalutare* ſanguinis Stillicidium occurrat, quod undecunque *cohibitum intrinſecam* funeſtam cruentam ſeceſſionem & *extravaſationem* tandem conſtituit: denique hoc ordine ex *hiſtoria practica* commemorare lubet, quomodo in junioribus, ex *pleuritide*, *peripnevmonia*, *angina*, retropulſa *arthritide*, repreſſo *eryſipelate* capitis &c. demortuis, ſeorſim vero diſtincte *plethoricis* aliquando poſt *mortem talis* cruentatio e *naribus* contigerit, cujus cauſæ e *præcedenti* ætiologica explicatione commode duci poſſunt: neque penitus exempla deſunt, quibus demonſtrari poteſt, quod in ſenibus etiam demortuis, talis narium hæmorrhagia occurrerit, cujusmodi exemplum D. D. Præſidi innotuit in ſene ultra ſeptuagenario, qui ante breve tempus vitam naturalem finivit.

§. VI.

Excipit nunc *illa* obſervatio, quod interdum in *defunctis* e *pectore* ſanguis magna ſatis copia erumpat, id quod in variis caſibus contingit & quidem, quando contumacia & vehementia *molimina hæmoptyica*, partim *calidis* remediis pectoralibus exacerbata, partim *travmaticis* & adſtringentibus medicaminibus turbata & impedita, tandem

cum

cum *funeſto* exeunt eventu, quæ denique in *mortuis* ad plenariam pertingunt *eruptionem* & *larga* quantitate ominoſam talem cruentationem conſtituunt, dum antea ſub gravi commotione pectoris regio cum *magna* ſanguinis quantitate impleta fuit, unde ſuperveniente *emortuali* partium *rigore* ſanguis in partibus nunc *majori* copia coacervatus, intenſius *compreſſus* tandem erumpit, & ex infarctis locis ſe effundit: Proinde *phthiſici* patientes aliquando cum *hæmoptyſi* expirant, qui poſt mortem ſanguinem ex *ore* interdum emittere continuant, quod tanto *majori* contingit ſucceſſu, quo *numeroſiora* vaſa ſanguifera ulcere illo *eroſa* ac aperta, imo quo magis ex priſtina *congeſtoria* conſuetudinali commotione hæmoptyica brevi ante obitum ſanguis *copioſius* ad pectus *coacervatus*, ut & ſub reliquo *emaciato* corpore in vaſis ſanguiferis adhuc *notabilis* ſanguinis copia continebatur, eademque aut certis *animi* pathematibus aut *calidis* medicaminibus valde *impulſa* fuit, qui ſanguis tandem poſt *mortem* evidenti & eminenti effectu effluere continuat: Porro e *pectore* in *defunctis* cruor quandoque emanat, quando quidam ægrotantes *vomica pulmonum*, ex parte *ulceroſa*, ex parte *ſanguinolenta* laborarunt, quæ tandem *erumpens* vitæ *finem* imponit & poſt hunc, copioſius collectam hanc materiam prævio operoſiori *aſthmatico* ſtatu, & conſequente majori *frementativa* humorum commotione talem mixtum & fœtidum cruorem *ex ore* dimittit: qualis caſus ante aliquod tempus hic loci D. D Præſidi obtigit, in ſtudioſo ex Vomica pulmonum demortuo: etenim quando pulmonum tunica *carnea* & *nervea relaxatur*, tunc aliquando accidit, ut ſanguis *intra* eandem in *ſtagnationem* ruat, qualis ſtagnatio *tandem* aliquando poſt mortem *eructat*; atque ex ore contentum ſanguinem effundit: hinc neque rationi, neque obſervationi contrariatur, quod in *nonnullis* aſthmaticis, cum *aliis* pectoris morbis utpote *phthiſicis* & moliminibus *hæmoptyicis* conjunctis, oppreſſis, denique poſt *mortem* talis

 cruen-

cruentatio ex ore contigerit: Aliquando etiam evenit, ut *narium* Hæmorrhagiæ, *vehementi* motu irruentes, ſed neque *ſufficienti* ſucceſſu ſe ventilantes, neque in nudo ſuo *molimine* acquieſcentes, ſed *ad pectus* majori conatu ruentes, indeque *vicariam* evacuationem urgentes, aut *actualem* Hæmoptyſin conſtituant, aut *talem* ſanguinis fluxionem *e pectore* poſt *mortem* prodant, hacque ratione *naturali* conſpicuo modo contingentem cruentationem poſt mortem probent: Inſuper profluvium ſanguinis ex *ore* & *pectore* in *cadavere* obtingere poteſt & ſolet, in *Hæmoptyſeos* repentina *oppreſſione*, quando ſanguis *parcius antea* fuit evacuatus, *affluxus* vero & congeſtio ad pectus *fortior* exſiſtit, tunc morte denique extincti, ob *nimiam* ſanguinis oppletionem, in pectore factam, inde etiam ob ſupra dictas cauſas eruptio & fluxio ſanguinis ſuccedit: ſimilis cruentatio accidit, quando affectus *peripnevmoniaci*, in ſubjectis admodum *plethoricis ſiniſtre* decurrunt, in quo *major* ſanguinis *ſtaſis* tandem *talem* eruptionem cruentam poſt mortem cauſatur, quo magis in *vivis* commotio ſanguinis in pectore & ad hoc *intenſior* fuit: evenit etiam ut ex repentina *ſuppreſſione*, diſtinctis qualitatibus *ſalutaris* cujusdam Hæmorrhagiæ, ſubitanea funeſta *apoplectica*, aut *phrenitico-apoplectica* afflictio irruat, quæ *præter* caput, ob *gravitatem* ſui gradus etiam *pectus* invadit, unde poſt mortem ex *illo* & *hoc* tandem ſanguis effluere aliquando ſolet: quando etiam in *moliminibus* hæmoptyicis in menſium & Hæmorrhoidum *defectivis* vitiis, in aliis *intricatis* ſanguineis morbis ſubjectorum *ſenſibiliorum* & valde *plethoricorum emetica* cum *funeſto* effectu propinata fuerunt, tunc ſanguis *ex ore* effluus obſervatus fuit: ita ſubitaneæ *Hæmorrhoidum* oppreſſiones, præcipue in perſonis *calidi* temperamenti, *plethoricis* & viribus *integris* inſtructis, repente *pectus* vehementi *congeſtione* invadentes & interdum *mortem* provocantes, poſt hanc demum e pectore eructant: quales *alii* caſus in praxi medica obſervari poſſunt,

e qui-

e quibus præſentes in diſquiſitione cruentationis, e *pectore* fientis, annotare placuit.

§. VII.

Nunc aliquas obſervationes de cruentatione, *Menſium* negotium excipiente, in præſenti ordine ac themate annotabimus: quamobrem hiſtoria medica teſtatur, quod Menſes *excedentes* aliquando poſt *mortem continuent*, dum *copioſus* ſanguinis affluxus, *totius* maſſæ ſanguineæ *fortis* commotio, concurrens aliquando ſanguinis *orgaſtica* ebullitio & tandem partium *uterinarum atonia* huic ſanguinis profluvio, poſt mortem ſuccedenti, promptam præbent cauſam, præcipue ſi *alioquin* in tali caſu ac ſtatu frequens *immoderatior* ſanguinis exagitatio præceſſit, unde *ſubtilior* & *fluidior* illius qualitas huic *ſerotino* ominoſo fluxui faciliorem occaſionem miniſtrat: deinde interdum Menſes *inordinati*, qui ſingulis *binis* aliquando revertuntur ſeptimanis, ſub certis circumſtantiis, poſt *mortem* cruentationem talem uterinam ſiſtere ſolent; ſiquidem communiter talis *anomalus* Menſium ſtatus *immoderatas* ſanguinis commotiones in *confiniis* uteri & congeſtiones ad uterum complectitur, quo conſequens viarum uterinarum *enervatio* & cum hac connexa major ſanguinis *coacervatio* in iisdem locis concurrens denique huic profluvio ſanguinis *cauſam* ſatis perſpicuam atque efficacem miniſtrat: Aliquando etiam accidit, ut in fœminis ſanguinis *turgidiori* copia oppletis ex *difficili* operoſa & *immoderata* commotione, *Menſium* ſucceſſum concernente, *ſuccumbentibus*, poſt mortem denique ſanguis ex utero *eructet*, qui ob *peculiares* etiam cauſas in *vita* ad *actualem* perruptionem vel plane *non* vel *inſufficienter* pertigit: id quod eo facilius in *illo* evenit caſu, quando ſub *tali* calamitate *calida*, uterina emmenagoga propinata fuerant remedia, quæ *totam* ſanguinis maſſam & *inteſtino* & univerſali *progreſſivo* & particulari *congeſtorio* motu in ominoſiorem tranſtulerunt *impetum*;

ptum: & quemadmodum ob diſtinctam & eminentem arteriarum *ubertatem* in *uterinis* locis ſanguis facile *coacervari* poteſt, ita in prædictis caſibus cruentatio poſt mortem *uterina* neque rationi, neque obſervationi contrariatur: proinde aliquando *rariores* illi occurrunt caſus, ubi ex *anomalo* Menſium negotio in utero *vomicæ* quaſi ſanguineæ, aut *molæ* ſanguinolentæ oriuntur, quæ cum continuis motibus *congeſtoriis Menſium* periodum ac rationem & ſucceſſionem concernentibus, ſtipatæ obſervantur, quales ſub certis *impulſibus* & cauſarum occaſionalium concurſibus tandem cum vitæ fine erumpunt, iterumque poſt hunc fluxum ſuum ſanguineum continuant: eo etiam pertinent *illæ* fæminæ, quæ præter *prægreſſos* Menſtruos decurſus, etiam *acres* ſeceſſiones in *uterinis* viis expertæ ſunt, quales poſteriores quandoque in utero tales ſuſpectas *eroſiones* ſanguiferorum uterinorum *vaſorum* efficiunt, ut non modo ſanguis *Menſtruis* periodis copioſius effluere ſoleat, ſed & *extra* & *ultra* Menſtruum terminum continuet, & demum poſt *mortem* in talibus ſubjectis, utplurimum *hectico* affectu oppreſſis, notabili ſe profundat copia, quales caſus plus una vice *D. D. Præſidi* in Praxi medica obtigerunt, neque ullis aliis *attentis* practicis incogniti eſſe poſſunt: evenit etiam, ut Menſes *immodici* ſubito *ſuppreſſi*, tam in uteri *ſubſtantia*, quam *vaſis* uteri ſanguiferis valde reſtagnent, coacerventur & ob continuum magnum *affluxum* ſanguis in hiſce locis *multa* copia congeratur & detineatur: quando itaque *ſub hoc* tempore, ſtatu & afflictionis gradu tales fæminæ *vita* privantur, tunc interdum accidit, ut poſt mortem ſanguis hactenus *coactus* ex uterinis locis *eructet* & largo flumine ſucceſſum continuet: quando *præcocem* Menſium *ſuppreſſionem* in fæminis *calidioris* & *activioris* temperamenti, *plethoricis* & intenſioribus ſanguinis *commotionibus* obnoxiis, uteri *inflammatio* ſequitur, ſub qua *magna* ſanguinis quantitas tam

in

in uteri *ſubſtantiam*, quam *confinia* congeritur, tunc in ſubjectis ſub hoc affectu demortuis nonnunquam ſanguis ex uterinis viis larga effluit copia: quando præterea in *variis* Menſium *anomaliis* remedia *calefacientia* in ſubjectis *junioribus*, activioribus, ſanguine *florido* turgidis ordinantur & frequentius ingeruntur, tunc ſub tali *morboſo* ſtatu fœminæ vitam amittentes, poſt mortem ex utero cruentationem talem ſiſtunt: de quo caſu vulgo aſſerunt, daß die ſtarcken Artzeneyen noch nach dem Todt würcken: & quemadmodum Menſes, aliquandiu *reſtitantes*, in *vivis* tandem cum *impetu* erumpunt & prodiga quantitate effluunt, ita interdum accidit, ut ob talem Menſium *retentionem* ſuccumbentes, denique poſt *mortem* interdum *magnam* ſanguinis quantitatem ex *utero* dimittant, tunc nunc ſuo *pondere* ac initiante *putredinoſo* inteſtino motu ſanguis inde erumpit: quando denique nonnullæ fœminæ ex Menſium *defectivis* vitiis in *ſubitaneum* hydropicum incidunt affectum & ſub eodem intra *brevem* temporis ambitum moriuntur, tunc perinde interdum ex uterinis partibus *tono* antea *privatis* & emortuali jam *rigore* deſtitutis, poſt mortem ſanguis *ex iisdem* locis effluit: Quæ diverſa ſunt ſpecimina Hæmorrhagiæ in demortuis, cum *Menſium* negotio & ſtatu connexa.

§. VIII.

Hiſce ſpeciminibus Hæmorrhagiarum in mortuis, nunc illas cruentationes annumeramus, quæ in ſubjectis ex *Puerperio* defunctis occurrunt, quales multiplices notatu dignæ occurſant obſervationes: etenim quando Puerperæ ob *nimium Lochiorum* fluxum e vita abeunt, tunc non raro *cruentum* illud uterinum profluvium *continuat* tanta plane *ubertate*, ut talium cadaverum *maturam* ſepulturam promovere debeant; quando enim in *vivis* adhuc fœminis ſanguis in *generico* magno conſtitutus fuit *orgasmo*, inſuper etiam *congeſtio* ad uterum fortior & *impetuoſior* extitit,

praeterea uterus nunc *laxior* eſt & *plus* ſanguinis in ſuam ſubſtantiam recipit, tunc ſingulæ hæ cauſæ in ſtatum poſt *mortem* aliqualem *efficaciam* continuant, ut propterea cruentatio puerperarum defunctarum *larga* communiter compareat, ſiquidem motus *inteſtinus* ſanguinis putredinem jam inferens, ſub hoc ſtatu valde *magnus* eſt, hinc Puerperæ, brevi poſt partum demortuæ, haud diu aſſervari & a *nimio* putrefactionis effectu arceri poſſunt; *qui ipſe* motus ad continuam & largam illam *cruentationem* uterinam poſt mortem, multum contribuit: tanto *major* & *plenior* illius cruentationis effectus redditur, quando fœminæ valde *plethoricæ*, difficili & *operoſo* partu commotæ & *enervatæ*, *calidis* etiam medicamentis aut *partum*, aut foetum *mortuum* aut *ſecundinas* urgentibus & impellentibus tractatæ fuerant: ab hiſce enim cauſis & *fluidæ* & *ſolidæ* partes ad *talem* Hæmorrhagiam poſt *mortem* diſponuntur, dum illis eximius gradus *inteſtini*, aut ſecundum vulgatum medicorum ſtylum, fermentativi motus communicatur, hæ vero partes valde *enervatæ*, neque firmo emortuali *rigore* occluſæ, retentioni ſanguinis *afflui* & larga copia in *uterinis* locis *ſubſiſtentis* haud quadrant & *phyſica* quadam vi ac qualitate ſatisfaciunt: quando porro ſub *imminuto* Lochiorum fluxu in fœminis *admodum* plethoricis *calida* medicamina & regimina adhibita fuerunt, tunc ſub *funeſto* eventu aliquando poſt mortem ſanguis ex *utero* largiſſime effluit & *priſtinus* impulſus nunc *ſerotino* tali effectu ſe exſerit; quodſi etiam in fœminis junioribus *plethoricis* poſt *laborioſum* partum *continuante* tamen adhuc *gravi* ſanguinis commotione, Lochia *ſupprimantur* & *febriles* atque *inflammtoriæ* afflictiones conſequantur, tunc affectu in brevi mora *ſiniſtre* exeunte, poſt mortem quandoque larga uterina cruentatio excipit, quæ *prævium* defectum *ſerius* compenſat & *immodico* ſuo ſucceſſu *gravitatem* præcedentis morboſæ afflictionis comprobat:

id

id quod etiam aliquando contingit, ſi talem Lochiorum *oppreſſionem* uteri *inflammationes* periculoſæ ſequuntur; Quando præterea ſub arduo & *operoſo* partu utero qualiscunque *vis* illata fuit, vel per *dilacerationem* & aliqualem *rupturam*, tunc non modo in *vivis* adhuc puerperis, ſed & in *mortuis* inſignis cruentatio ex utero contingit, quæ *præviam* violationem confirmat: quando porro ob ſuſpectum *abortum* & *molæ difficiliorem* expulſionem, aut fœtus *mortui* & *ſecundinarum* impeditam & *laborioſam* exonerationem Lochiorum *juſtus* proceſſus valde *turbatur*, ſanguinis tamen maſſa intenſius *commovetur*, tunc ſtatu & affectu tali *funeſte* excurrente, poſt mortem nonnunquam ſanguis largiter ex utero profluere ſolet, dum ob prædictas *occaſiones* ſanguis antea *in* utero & *circa* illum valde *commotus* & *coacervatus* fuit, qui tandem poſt mortem ex *interna* apertura & uteri læſione, nec non ex aliis ſanguine oppletis uteri locis eructat & ob *pluralitatem, amplitudinem* & *magnitudinem* aperturæ immodica quantitate effluere continuat: quando etiam *brevi* poſt partum ſub Lochiorum fluxu *temperato* ex *alia* cauſa *febris* quædam continua ſuccedit, quæ citius etiam *funeſte* deſinit, tunc poſt mortem nonnunquam in *talibus* fæminis profuſio cruenta ex utero continuat: quodſi inſuper in *quibusdam* puerperis *plethoricis imminutus* Lochiorum fluxus cum *crudioribus* & *largioribus* aloeticis remediis proſecutus & *impulſus* fuerit, tunc ſpe fruſtrata & *ſiniſtre* perducto negotio, denique *poſt* mortem interdum *aloës* propinata talem *hæmagogum* effectum exſerit: Et dum in Puerperis *major* affluxus ſanguinis ad *purgandum* & *curandum* uterum, ob ſecundinarum *avulſionem* violatum & *dilaceratum*, aliquandiu continuat, hinc in iiſdem paulo facilius ſanguinis emanatio poſt mortem ex utero contingere poteſt; quas obſervationes in præſenti Puerperarum conciliatione proferre placuit.

§. IX.

Diverſas hactenus Hæmorrhagiarum, in *mortuis* obſervatarum *ſpecies*, commemoravimus, nunc adhuc nonnullas *alias* & quasdam *ſelectas* præcedenti tractationi annectere lubet: Quod enim *Hæmorrhoides* attinet, tunc interdum contingit, ut poſt *mortem* eædem continuent, quando *antea* non modo cum *vehementi* motuum *congeſtoriorum* gradu ac impetu irruerunt, ſed & ſub *excedente* fluxu ad *funeſtum* plane eventum pertigerunt, hinc partes *hæmorrhoidales* in morte & poſt hanc vix ſingulari aut *efficaci* occluduntur *rigore*, ſed facile *affluxui* & *effluxui* ſanguinis cedunt atque patent, ut propterea ſub *tali* ſtatu ſanguis ex *hiſce* locis non modo poſt mortem emanare poſſit, ſed etiam *ſoleat*, præcipue quando antea *numeroſiores* propagines, hæmorrhoidalis *internæ* venæ apertæ fuere: quam ob rem etiam evenit, ut in *dyſentericis* demortuis ſubjectis ob talem *copioſarum* venularum, imo arteriolarum ad inteſtina ſpectantium *eroſionem*, aliquando cruentatio notabilis ſuccedat: præterea *talis* profuſio ſanguinis ex locis hæmorrhoidalibus in demortuis *hydropicis* ſubjectis aliquando obtingit, quando ob emollitionem & *eliquationem*, inteſtinorum vaſcula ſanguifera *perrumpunt* & ſanguis ſucceſſive in *cavitatem* inteſtinorum affluit, inde denique ex prædictis locis ſimili *atonia* & laxitate præditis effluit: quanta tormenta, quantasve læſiones *vermes* in corpore humano cauſentur, paſſim conſtat, unde iidem interdum *adeo* inteſtina *lædunt*, ut ſanguis *intra* inteſtina effluat, qui denique aliquando poſt mortem etiam emanare ſolet & poteſt: Deinde talia profluvia ſanguinis ex variis corporis locis, *gravi vi* percuſſis, contingunt, quando quidam homines ob mortiferam *plagam* & contuſionem *Capitis*, *Pectoris*, *Lumborum*, *inguinalium* locorum &c. vita fuerant privati; inde enim evenit, ut *vivi* adhuc tales homines ob perpeſſam talem *violentiam* ſanguinem e *capite* emittant, e

pectore

pectore ſpuant, ex *alvo* deponant, cum *urina* mingant atque hiſce ſignis factam *internam* violationem & aliqualem *crepaturam* aut læſionem probent: quo *major* itaque inflicta fuit *violenta* læſio, quo fortior una contigit *ſanguinis* commotio, quo magis *plethorica* fuerant ſubjecta, eo *facilius* poſt *mortem* in talibus ſubjectis *talis* cruentatio ſuccedit, cujus cauſæ utplurimum ſatis *manifeſtæ* ſunt, ut nulla neceſſitas promiſcue ad *miraculoſa* phænomena declamanda ducat; Quando præterea quædam fœminæ adhuc *vegetis* animi ac corporis viribus inſtructæ, ſanguine *floridiori* oppletæ, animo *inquietæ*, variis arduis & *impetuoſis* animi ac corporis *commotionibus* obnoxiæ, diætæ *ſpirituoſæ* ac vitæ *luxurioſæ* deditæ, in funeſtam *uteri* Hæmorrhagiam incidunt & ſub eadem denique *ſuccumbunt*, tunc nonnunquam talis *ſtupenda* ſanguinis profuſio *uterina* etiam poſt *mortem* aliquandiu continuat, unde facile innoteſcit, *quantus* adhuc motus ſit in *ſanguine*, qui *aperta* jam via *ulterius* in fluxu ſuo inſiſtit: Porro *D. D. Præſidi* innotuit caſus, ubi adultior quidam patiens, maſculini ſexus, ex impedito & *anomalo* Hæmorrhoidum ſtatu magnum *tumorem* ſanguine impletum in *thorace* obtinuit, qui pedetentim in *majorem* accrevit molem, nec ullis *in* & *externis* remediis adhibitis obtemperavit; tandem nonnulli hujus tumoris *artificialem* apertionem commendarunt, quam tamen alii diſuaſerunt: interim facta *inciſione* ſanguis ex hoc tumore largius ſtillavit, adeo ut poſt *brevem* moram hoc ſubjectum *vitam* naturalem amiſerit: poſt mortem vero ille ſanguinis fluxus aliquandiu continuavit: ſimiliter alius nobis innotuit caſus, ubi juvenis quidam poſt confuſos & *ſemi colicos* repetitos dolores tandem *inæqualem*, mollem tamen in ſiniſtra *hypogaſtrica* regione ſubiit tumorem, qui per *annuum* increbuit ſpatium, donec ſub confuſo affectus ſtatu & *hecticæ* febris acceſſione hic patiens hujus tumoris *ſpontaneam* eruptionem expertus fue-

 rat,

rat, ex qua apertura fœtida & diverſi coloris materia cum ſanguine mixta emanavit; poſteaquam denique hic æger brevi mortuus erat, tandem poſt mortem ex *abdomine* ſanguinis fluxus perſeveravit: hiſce caſibus tertiam addimus, quæ perinde *D. D Præſidi* de infante Magdeburgico octo ſeptimanarum innotuit: hic per *octo* dies *vehementi* Hæmorrhagia afflictus fuerat, dum ſanguis e *naribus*, *ore*, *canthis oculorum*, e foraminulo, quaſi acus cuſpide formato, in parte cartilaginoſa *apicis* narium, porro e *duabus genis*, ad muſculum buccinatorem, ut & in *uno pede* ad chordam tendineam Achillis effluxerat: ſanguine ita plurimum *exhauſto* tenellulus hic infans expiravit; poſt mortem tamen ex *ultimo* hoc loco, videlicet in *pede*, ubi ſimile exiguum *foraminulum* conſpectui ſe præbuit, ſanguis ſatis copioſe manare continuavit: Quas obſervationes prædictis ad hoc argumentum pertinentibus illuſtrandis addere voluimus; quo tanto magis inclareſcat, quam *diverſimode* ejusmodi cruentationes in mortuis evenire ſoleant.

§. X.

Cruentationis in *defunctis* occurrentis *ſingularis* illa eſt Species, quæ in *occiſis* ſubjectis obſervata dicitur & ad *detegendos* reos & *homicidas* in cauſis & caſibus *judicialibus* nonnunquam conciliata legitur: quamvis quidem hoc thema a multis ventilatum ſit, tamen hoc loco & nexu illius brevem mentionem facere lubet, ut dehinc *facilior* ſit concluſio, an *hæc* cruentatio *ſecurum* ſit indicium, aut *ſufficiens* ſignum ad *torturam*; quam quæſtionem ſeorſim ventilant *Müller de Jure Feretri cap. 4. Carpzovius Prax. crimin. qv. 122. n. 28-36. Claſenius Comment. in C. C. C. art. 33. p. 176 ſeq. Kornman. de mirac. mort. p. 9. c. 27.* aliique: quando enim cadaver aut ſubjectum *occiſum*, quod antea ſanguinem emittere *ceſſavit*, ut cum morte ſanguinis profuſio *oppreſſa* fuerit, nunc *præſente* aliquo *ſuſpecto* homine

cruo-

cruorem ex *improviſo* & *ſine data* ſingulari cauſa aut evidenti alia ratione cruorem *denuo* & quidem *conſpicua* & notabili quantitate ſtillare ſolet, tunc *extraordinarium* hoc atque e *miraculo* divino proveniens indicium a quibusdam creditur, quo reus hactenus *occultus indicari* perhibetur: quamvis porro plurimi *hodiernorum* ICtorum hoc indicium haud æſtiment & propterea *Carpzovius l. c. n. 30.* dicat: *ſed periculoſum admodum hoc eſt, ne dicam ſuperſtitioſum &* *n. 36.* aſſerat: *non temere huic indicio fidem eſſe dandam, propter naturæ viciſſitudinem & mutabilitatem cauſarumque & caſuum incertitudinem ac veritatem:* ut & *Claſenius* conſentiat *l. c. p. 178.* ubi dicit: *Deus non vult extraordinariis remediis veritatem delictorum in homicidiis clandeſtinis proferre: nec Deus absque neceſſitate miracula producit:* quo pertinet judicium *Mulleri* quando *l. c.* §. 5. profitetur: *optima igitur opinio eſt eorum, qui ſtatuunt nullum plane facere indicium ad torturam & eſſe ſpurium, cui ſententiæ & ego ſubſcribo: conf. Garmann de mirac. mort. lib. 2. tit. 7. §. 89. ſeq. 104. 106. 140. 141.* tamen *B. Stryckius de Jure Senſuum diſſ. 7. c. 3. n. 15.* hanc explorationem *illam* ob rationem admittit, quaſi *ille*, qui cadaver *tangit*, quamvis hoc *non* cruentet, in *vultu* tamen eminentem ſubeat *alterationem*, ex qua ad patratum delictum & *homicidium* facilius concludere liceat; tamen & hæc circumſtantia fallax eſt: hinc ex *Oldekop tit. 2. obſ. 2.* **Joh. Chr. Frölich** *de* **Frölichsburg** *in Comment.* **der Peinlichen Hals-Gerichts-Ordnung** *Car. V. p. 17.* dicit: wiewohl dieſer author nicht gar unthunlich zu ſeyn vermeint, wann bey mehrern einlauffenden Umſtänden der Beſüchtigte zu den Cörper geführt und der Cörper auf eine unnatürliche wunderliche weiß heuffiges Blut ſchwitzen ſolte, um zu ſehen mit was Geberden der wunderlichen Begebenheit derſelbe beywohne, wie ſtandhafft er in verneinen, wie bleich, wie forcht voll er werde ꝛc. Jedoch weilen bey unverhofften Zufällen, auch ein verſtändiger unſchuldiger Menſch ſich verändern kan,

iſt, aus ſolcher Vorſtellung allein kein ſonderbahres indicium zu erheben: und lehret hiervon *Eraſm. Franciſci* in ſeiner **luſtigen Schau-Bühne** 4. **Verſamlung** *Lib. 1.* daß auch ein Cörper in Gegenwart ſeines guten Freundes aus heimlicher Zuneigungs-Art und Sympathia zu bluten anfangen könne: deſſen ich ein lebendiger Zeuge bin ꝛc. ubi hic author caſum aliquem profert, qui ipſi contigit: *conf. etiam A. N. C. Dec. 3. an. 1. obſ. 50. de ſanguinis profluxu in brachio, die tertio poſt mortem, pro miraculo habito.* Quæſtio itaque *præjudicialis* illa vulgo proponitur decidenda, an non aut *naturali* aut *ſupranaturali* ratione & *extra* ordinem naturæ talis cruentatio contingere poſſit: ſecundum hujus quæſtionis nervum aliqui *naturalem* & *miraculoſam* talem cruentationem admittunt: de *naturalibus* cauſis *vid. Voigt. delic. phyſ. c. 1. ſect. 3. membr. XI §. 1. Kirchmeyeri diſſert. de cruent. cadav. ſect. poſt. punct. 1. Frenzelius diſſert. de cadav. humanis ad præſentiam occiſoris cruentatis c. 3. Muller de Jure Feretri ſ. Cruentationis cap. 2. §. 7. Rejes. Camp. Elyſ. juc. qu. 33. p. 397 - 400. Garman. mirac. mort. lib. 2. tit. 7. §. 81 - 87. 106. Kornmann. mirac. mort. part. 9. cap. 23. Mullerus* diverſa *exempla* naturalis & extra ordinem naturæ contingentis talis cruentationis *cap. 3.* collegit, qualia *alibi* paſſim commemorantur: & licet illis ita dictis *miraculoſis* caſibus *omnem* fidem denegare *haud* velimus, tamen in iisdem agnoſcendis & *decidendis judicioſam* etiam præcautionem neceſſariam eſſe arbitramur, ne ex negligentiori *naturalium* cauſarum ſcrutinio atque nexu, *fallacia* fingamus miracula; quæ dehinc juſta cenſura ad reliquas probas cum Igne & aqua inſtitutas, quæ pari paſſu ambulant, premunt: inde facile innoteſcit, quam parum *hoc niti* liceat argumento, ad *extraordinariam* delicti cujusdam probam.

§. XI.

Quod porro illud argumentum attinet, Deum *miraculoſo* modo hac Cruentatione *aliquando* indicaſſe, ut propterea

hoc

hoc medium inquirendi in *reum* homicidam adhuc in *foro* obſervari & applicari queat, tunc præter ante notatam circumſpectionem *inexcuſabilis* eſſet audacia in *talibus* caſibus a Deo *miracula* poſtulare velle; huc enim cadit verbum Salvatoris *Matth. 4. v. 7. non tentabis Dominium Deum Tuum:* haud enim *homini* liberum eſt, ut *Deo talem modum* ſignificandi & aperiendi occiſorem *præſcribat*, ſed potius DEO utpote *ſummo* Judici *directio* ejusmodi caſus relinquenda, quippe qui, ſi ejus ſanctiſſimæ *voluntati* placuerit homicidam producere, etiam *alio*, quam *miraculoſo* modo hoc opus perficere potuerit: quamvis enim in tali *temerario* poſtulato Deus interdum imbecillitati humanæ indulgeat, velut *Gideoni* contigit *Judic. 6.* tamen *Zachariæ* quæſtio *Luc. 1. v. 18 per quid cognoſcere potero hoc*, qua Deum tentavit, non admodum *grato* compenſata fuit miraculo, nam *v. 20.* extat: *ecce ergo eris mutus & non poteris loqui usque ad diem quo fient hæc, propterea quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.* Quam ob rem hunc pro *conſcientiæ* æſtumo caſu, quando *bona* cæteroquin intentione, bonoque *fine* a Deo requirimus, ut *ita* in tali procedat caſu ſicut *noſtro* arbitrio placet. Deinde negari haud poteſt, quod *myriotechnites* Satanas pravitatem, *fraudemque* ſuam cum *corporibus* nonnullorum defunctorum exercere & *ſimilem* cruentationem perficere queat, (*conf. Caſp. Rejes. Camp. Elyſ. qv. juc. qv. 33. p. 396. Garman. mirac. mort. lib. 2. tit. 7. §. 57-59.*) ſicut incantatores *Ægypti* imitabantur miracula *Moyſes* & *Aaronis:* ſed dum *Diaboli* opera *omnia* & ſingula ad *damna* & detrimenta cauſanda directa ſunt, quidni tali *cruentatione illuſiones* perficere & *innocentem* hominem de *commiſſo* homicidio ſuſpectum reddere poſſet, (quemadmodum parallelus ferme caſus in *crimine magiæ* occurrere ſolet,) ſiquidem in ejusmodi cruentatione perpetua høreret *amphibolia*, an videlicet eadem, a *Deo*, an vero a *Diabolo* proveniat, ubi *novo* opus eſſet *miraculo*, ut baculus Aaronis deglutiret baculos incantatorum: quis itaque in re tam *dubia* & *periculoſa* hoc ſignum cruentationis ut pote *fidum*, ſecurum & in foro juſtitiæ *certum* experimen-

tum probare & admittere poſſet: quando itaque quidam Jureconſultorum *mediam* illam viam tenere cogitant, qua *hoc* experimentum cum *aliis* indiciis combinandum admittunt, tunc perinde hæc cruentatio *miraculoſa* eſſet, & ſi *divinum* fuerit miraculum, tunc indiciis opus *haud* erit, ſi vero *dæmoniacum* fuerit glaucoma, tunc non modo *abominatione* dignum erit, ſed *alia firmiora* aut magis fida indicia vel *confundet*, vel *enervabit:* exinde liquet, quomodo hoc experimentum *nulla* ratio tueatur: accedit illud quomodo *ſucceſſus* & *effectus* hujus cruentationis cauſis *nude phyſicis* niti queat, quas homines *creduli* & *ſuperſtitioſi* non facile perſpiciunt & aſſequuntur, aut *alii* ob certas *præconceptas* opiniones *phyſicas* & *medicas* non agnoſcunt, aut quidam *citra* culpam alicujus præjudicii de *tali* naturali cauſa *haud* cogitant, quam tamen *alius* forte magis perſpectam habet; ubi tamen iterum præcavendum erit, ne *intricatæ*, ſubtiles & *obſcuræ* ſupponantur & *fingantur* cauſæ, quæ *rationalem* illius effectus explicationem & demonſtrationem magis turbant & implicant: interea cruentationem *miraculoſam* non *omnimode* negamus, cum *Deo* omnipotenti manus *haud ita* ligatæ ſint quo *diverſo* modo in noſtris temporibus pro ipſius ſanctiſſimo *beneplacito* miracula adhuc edat, & *divinum* inſuper ſcopum atque reſpectum cum iisdem ſignificet, illud vero *prudentis* hominis officium eſt, ne facile tot cruentationibus, ad quas *papicolæ* provocant, fidem largiatur, quales *Stephanus Clozius de Sudore Chriſti ſangv. c. 13. §. 4.* commemorat, *conf. Garmannus de mirac. mort. lib. 2. tit. 7. §. 35. 38. & tit. 5. §. 8.* ob id *Phyſicorum* & *Medicorum* requirenda, percipienda & conferenda erunt judicia, ne quis *facile credendo*, facile *decipiatur* & pertinacius *reluctando* atque *ſingula* miracula *negando* in *aliud* periculoſum incidat extremum. Minus itaque ſecurum & conſultum eſt in tam *arduo* caſu, hominis *ſanguinem* concernente, *dubio* niti indicio, quoniam in *genere miraculorum* exploratio & dijudicatio attentum atque *providum* animum requirit; immo imbecillitas noſtra *humana* probam per *miracula* haud indiſcriminatim facile perferret & caperet:

ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον *2 Petr. 1. v. 19.* & *Lucerna pedi meo verbum Tuum & Lux, ſemitæ meæ. Pſ. 119. v. 105.*

§. XII.

Colophonem denique addentes nonnullas *veras* cauſas *naturales* recenſebimus, quæ *talem* cruentationem poſt *mortem* provocare ſolent: miſſis vero illis *obſcuris* traditionibus, de *ſpiritibus vitalibus*, de *anima* occiſi aut defuncti circa cadaver *oberrantis*, de *antipathia* occiſi cum occiſore, de vi *imaginationis* in homicida &c. magis *evidentes* ac *certas* nominabimus rationes, ex quibus plurimæ quidem in *præcedentibus* nominatæ ſunt: inter illas vero eminet *magna* ſanguinis copia in *defuncto* adhuc obvia, quando antea in morbo *prævio* hic *uberior* ſanguis *valde* commotus & impulſus, aut vehementioribus *congeſtionibus* ad certa loca translatus & in iisdem *coacervatus* & detentus fuit: hinc contingit, ut, ſi talis *plethoricus* aut plaga aut vulnere lethali occiſus fuit, ſanguis antea *majori* gradu motus & vehementiori *congeſtione* ad locum *læſum* compulſus, denique poſt *mortem* ex *vulnere* inducto adhuc manare continuet: tanto *facilius* vero talis eruptio & fluxio cruenta poſt mortem accidit, quando in *plethorico* aut cum *impuro* ſanguine prædito ſubjecto, poſt obitum magna *inteſtina* humorum commotio, quam *Harvæus exercit. anat. 1. c. 4. & Hildanus Cent. 2. obſ. 25.* probarunt, ſuccedit, quæ *ſpumeſcente* velut effectu cruorem eructat: ſic quoque talis hæmorrhagia ſuccedit, quando vulnus una *majoris* vaſis ſanguiferi læſionem intulit, quando ſubjectum *ſtrangulatorio* quodam ſuccubuit effectu, ſiquidem in *talibus* morientibus *vehementer* ſanguis agitatur, ſub qua preſſione & hoc impulſu tandem in *ſuſpenſis* brevi poſt ſuffocationem aliquando ſanguis alicubi *erumpit*, aut demum poſt aliquot *dies* pro differenti concurſu *aliarum* cauſarum, præcipue *tempeſtatis*, effluit: ſic ad talem cruentationem poſt mortem diſponit, quondo homo quidam præcipue *plethoricus* ſub rixis & *impetuoſis* corporis commotionibus ac connexis *ſanguinis* impulſibus, ſub *crapula* poſt largam *Spirituoſorum* potulentorum ingeſtionem, occiſus fuit, in quo

poſt

poſt mortem *æſtus* ſanguinis i. e. vehemens *inteſtina* commotio continuat, ut ex *vulnere* aut *alio* loco cruor profluat: idem contingit quando quibusdam ſubjectis ſubtili ac *florido* ſanguine præditis aut facilioribus, frequentioribus & fortioribus *orgasmis* ſanguinis expoſitis ſub inflicti *vulneris* aut *morbi* prægreſſi tractatione medica, *minus* proficua *calefacientia* & ſanguinem valde commoventia remedia oblata fuere, quæ talem ominoſam *inteſtinam* commotionem poſt mortem cauſantur: quando cadavera *moventur* aut huc illuc transferuntur, ubi communiter humores ad *citiorem putrefactionem* diſponuntur, ut aucto inde *inteſtino* tali motu, tandem facilius e partibus *rigore* emortuali nunc privatis iterumque *emollitis* ac *relaxatis*, ſanguis facilius effluat: quare illi qui *experimenta* cum *cruentatione* cadaveris admittunt, hanc cautelam addunt, ne cadaver brevi antea *moveatur:* quando porro cadaver in *loco calido* aut *humido tepido* ſubterraneo aut uvido aſſervatur, tunc *ſanguis* præcipue citius & fortius *inteſtino* afficitur motu, partes vero *ſolidæ* fibroſæ magis *relaxantur* & eliquantur, ut propterea talis *eruptio* ſanguinis facilius contingere queat: quando etiam *tempeſtates calidæ* & *humidæ* coincidunt & cum *alia* eminenti & efficaci aëris *commotione*, velut cum tonitru & fulgure ſeſe exſerunt, tunc in *genere quodvis* cadaver valde alteratur & ad præcipitem *putrefactionem* diſponitur; quando itaque *eximius* talis motus ſanguinem afficit, tunc *facilius* ejusmodi *cruentatio* contingere poteſt: tandem *una* ſanguinis *mixtio* præ *altera magis* ad ſubitaneum & vehementem motum *inteſtinum* ſuſcipiendum proclivis eſt, quæ in *mortuis* æq; ad *talem* cruentationem occaſionem miniſtrare poteſt: *haſce* rationes, ſi quis una cum *reliquis* ſupra allegatis cauſis ad *tales caſus* Hæmorrhagiarum, in *demortuis* ſuccedentium, rite, perite & provide applicaverit, facile tunc obſervabit, *an* talis effectus *naturalibus* adſcribendus ſit cauſis, an vero *ordinem* naturæ *transgrediatur:* Nos vero nunc vela contrahimus DEO pro præſtito auxilio in hoc labore humillimas referimus gratias, omnesque noſtras actiones ipſius directioni & benedictioni commendamus, ut ſalutarem ſemper aſſequantur

F I N E M.